

sus hujus sacrae Congregationis, quod solvere tenerentur medietatem omnium cereorum, quae per viam deferuntur, ac etiam eorum, quae in Ecclesiis acciduntur in expositione cadaverum, varius tamen fuit quoad Ecclesias regulares, quoque sub die 24. Maii 1727 re maturius examinata prodiit resolutio „ad mentem“ (approbata subinde vivae vocis oraculo a SS. Domino nostro), quae fuit: „ut praevio recessu a decisio sub die 25. Jan. praeteriti Regulares solvant Ecclesiis parochialibus medietatem cereorum, quae deferuntur per viam, et quartam tantum partem cereorum, quae in eorum Ecclesiis acciduntur circa cadavera, castrum doloris et altaria“: cuius resolutionis fundamentum quoad primam partem fuit in consuetudine per parochos plene probata, quae tamen non aderat quoad secundam.

Adest etiam altera causa Pisauren.* nuper introducta in hac sacra Congregatione super quota funeralium persolvenda a PP. Capuccinis Ecclesiis parochialibus Pisauri. Ex parte parochorum plene probatum fuit, vigere in eo loco antiquam consuetudinem approbatam etiam in judicio de exigenda medietate cereorum, quae in Ecclesiis tumulantibus acciduntur circa exposita cadavera; hinc sacra Congregatio die 15. Maii labentis anni respondit: „PP. Capuccinos teneri ad solvendam parochis quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et medietatem cerae et intortiorum, quae acciduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem.“

Consimilis quaestio hodie versatur in praesenti causa Oritana. Occasione enim, qua de mense Novembris 1726 cadaver filii ducis Cilii delatum fuit ad Ecclesiam PP. Capuccinorum, in qua ipsi

*) Vd. *Decretum antecedens: „Pisauren.“*

duces sepulchrum gentilium habent, Capitulum collegiae Ecclesiae uti parochus habitualis dictae terrae pro illius associatione praetendit in vim antiquae consuetudinis omnia intortitia, quae circa cadaver per viam delata fuerunt accensa, sibi deberi, prout de facto ea omnia retinuit et occupavit; reclamantibus vero PP. Capuccinis ad curiam Oritanam, eadem curia assignato partibus termino probatorio omnem ceram interim deponi mandavit; ab hoc interlocutorio decreto appellavit Capitulum ad A. C.; remissa tamen causa per auditorem SSmi ad hanc sacram Congregationem, ac subscriptis duobus sequentibus dubitis, hodie proponuntur per EE. VV. sapientissime de more resolvenda:

I. An intortitia, quae deferuntur accensa per viam circa cadaver, spectent ad R. Capitulum Collegiae, an vero ad PP. Capuccinos?

II. An dicti PP. Capuccini teneantur solvere dicto R. Capitulo uti parocho habituali quartam funeralis de omnibus cereis ad tenorem bullae SS. Domini nostri, quae incipit: „*Romanus Pontifex?*“

S. C. C. resp.: Omnia spectare ad PP. Capuccinos dempta quarta et amplius.

Die 4. Decbr. 1728 et 12. Febr. 1729.

Mediolanen.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De Ref.)

Ad dirimendas omnes controversias ortas seu orituras super quartam funerali inter parochos et regulares san. mem. Benedictus XIII. in Constitutione: *Romanus Pontifex*, quae est la 6. inter impressas post Concilium Romanum, sancivit, ut sublatis quibuscumque privilegiis alias Regularibus competent. isti teneantur tradere parocho pro defunctis in eorum Ecclesiis tumulandis quartam partem omnium intortiorum

et candelarum, quibus defuncti caderer in itinere ad Ecclesiam tumulanten associabitur, necnon omnium intortiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris acciduntur, exceptis candelis, quae in associatione funeris deferuntur manu-liter accensae; quod si funus non in ipsa die tumulationis fieret, sed ad diversam vel ad aliud longius tempus differetur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortiorum et candelarum, quae ipsam peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium atque etiam in altaribus accensae fuerint, declarando etiam, quod, ubi consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae parochis magis favarent illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigerent, locis inconcusse ab omnibus observari deberent.

Idem summus Potifex alteram quoque condidit Constitutionem incipientem: *Pretiosus*, in qua sub §. 67. data fuit optio parochis vel eligendi quartam partem praescriptam in prima dicta Constitutione vel standi consuetudini, statuto, concordiae seu conventioni; optione vero semel facta, eam amplius immutare nequint.

In vim hujusmodi secundae Constitutionis lacessitis parochis civitatis Mediolanen. a PP. Dominicanis ad faciendam hanc electionem parochi declararunt, velle stare consuetudini, addita praeservativa: et juribus suis nolle in aliquo praejudicare.

Facta eadem instantia ex parte PP. Augustinianorum ejusdem civitatis sub die 7. Maii 1729 injunctum fuit, ut parochi respectu tam PP. Augustinianorum quam aliorum Regularium eligent ad formam dictae Bullae: *Pretiosus*.

Cum autem in vim istius decreti parochi declaraverint Synodum Ecclesiae Mediolanensis, PP. Augustiniani reclamarunt ab ista electione, instantes pro coactione, ut parochi specificē declararent: an vellent stare quartae vel consuetudini eodem modo, quo declararunt quoad PP. Dominicanos; sed proposita hujusmodi instantia in Congregatione die 13. Augusti 1729 inter summaria precum, rescriptum fuit: proponatur instantia una cum negotio principali et interim scribatur Emo Archiepiscopo pro informatione et voto.

Emus Archiepiscop. subinde celebrata Synodo de anno 1610 recollectis omnibus, quae s. Carolus in provincialibus Conciliis quoad funera ducenda statuerat, dixit plura condita fuisse decreta pro recte exercendis functionibus funeralibus necnon constitutas taxas cerae et eleemosynarum pro sacerdotibus interessentibus et quoad regulares, inhaerendo antiquae consuetudini praescriptum fuisse: ut ipsi contenti essent medietate illius cerae, quae circa feretrum aut aliter quomodocunque in illo funere adhibebitur, quodque hujusmodi decreta reperiantur impressa in rituali, quod pree manibus habent parochi occasione funerum, ac juxta eorum tenorem, quoties aliqua emergit contentio, pronunciari solent. Subdit quoque, licite potuisse parochos devenire ad secundam optionem de stando Synodis, non obstante prima facta ad instantiam PP. Dominicanorum, quia haec non a toto coetu parochorum emissum fuit, sed a nonnullis tantum speciale ad id mandatum non habentibus; seu quia addita in ea fuit clausula praeservativa suorum jurium, sive demum quia fuerunt postea omnes parochi coacti ad faciendam novam declarationem seu optionem magis puram et simplicem. Addit etiam, quod pondus candelarum, quae distri-

PP. Capuccini in d. Aquen. superius enunciata ad VI. dubium condemnati fuerunt ad solutionem quartae parocho Ovadae, quae est oppidum Genuensis ditionis. Insuper cum PP. Minimi loci Spediae Genuensis dominii et hujusmet dioecesis cum privilegiorum praetextu recusarent quartam funerum in medietate emolumentorum funeralium juxta consuetudinem quoad alias Regulares ibi vigentem parocho d. loci persolvere, ad eam persolvendam in hac mea curia condemnati fuere per sententiam, quae in gradu appellationis confirmata fuit ab A. C. Mesmer die 12. Maii anni 1731, in cuius judiciali executionem mox sub die 7. Junii ejusdem anni dd. PP. Minimi ad traditionem medietatis dd. funeralium emolumentorum devenierunt, ut ex instrumento publico mihi exhibito tandem (PP. Capuccinis exceptis) ceteri Regulares omnes hujus meae dioecesis etiam in Genuensi ditione antea a quartae solutione exempti eam post constitutionem jam dictam absque controversia parochis contribuunt. Minus subsistit in jure, cum pontificiae leges ab acceptance subditorum non pendeant et licet per contrariam consuetudinem, immo forte per solam desuetudinem, aliquando vim obligandi omittant, tamen ultra tempus annorum 40 requirunt scientia et patientia legislatoris.

Decidendum igitur erit:

An fratres Capuccini teneantur tradere parochis quartam cerea a censae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur et intortiiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 18. Maii et 1. Junii 1737.

PP. Capuccini tenentur tradere si eut alii parochis quartam cerea a censae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda

deferuntur, et intortiiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum. S. C. C. In Aquensi oppidi Ovadae 19. Septb. 1732 et in Lunen. Sarzanen. 18. Mart. 1737 ad tenorem Constitutionis Bened. XIII. incip.: *Romanus Pontifex*, ac in Oriana 12. Febr. 1729.

5) Parocho saecul. non debetur duplex vel major solita quarta.

Caeteris paribus non possunt parochi majorem eleemosynam exigere pro sepultura forensium aut extra-neorum quam incolarum.

S. C. Ep. 25. Maii 1640; 20. Junii 1653; 8. Aug. 1659.

Parochi consequi non possunt neque praetendere ab haeredibus defunctorum, qui sepeluntur in Ecclesiis Regularium, duplum quartam seu portionem maiorem solita dari pro illis, qui sepeluntur in propria parochia. S. C. Ep. et Regul. in Brundusina 7. Decb. 1640. Quod cum aliis decretis confirmavit Clemens X. Constit. incip.: *Alias*, quae, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic, prout jacet, subnectitur:

Clemens Papa etc.

Alias pro parte tunc existentis Commissarii Curiae Fratrum Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita supplicata, ut prohiberetur parochis et Clericis Terrae Leverano Brundusinae dioecesis omnibusque aliis parochis et presbyteris, ne auderent accipere maiorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipsorum parochorum et presbyterorum saecularium Ecclesiis sepeliebantur, emanavit die 7. Dec. 1640 ab eadem Con-

gregatione decretum tenoris sequentis videlicet:

„S. C. Emi S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita ad tollendas indebitas exactiones, quae, ut proponitur, in tumulandis defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum, prout praesenti decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundusino eaeterisque locorum Ordinariis, ne permittant, ut parochi aliquique de Clero saeculari majorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium praedictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu alia ipsius Cleri saecularis Ecclesia sepeliri voluerint, contrariis quibuscumque non obstantibus etc. Die 7. Decb. 1640. Et subinde cum tunc existentes fratres provinciae Dalmatiae dicti Ordinis Congregationi praefatae exposuissent, functiones funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturae mandarentur, facere ad eos, non autem ad parochos spectare, Congregatio praefata die 31. Aug. 1657 aliud decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet:

S. C. Emi S. R. E. Card. negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis narratis, juxta alias resoluta, censuit, functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ecclesiis circa praemissa servandum esse, prout servari mandat et praecipit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 31. Aug. 1657.“

Cum autem sicut pro parte dilecti filii Francisci Mariae a Castro s. Petri

de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis praefati Nobis nuper expositum fuit, ipse decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicae Confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Francisco Mariae Procuratori Generali gratiam facere volentes eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis et Interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a Jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore centes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decreta praesentia auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium, inviolabilis apostol. firmitatis robur adjicimus.“

Datum Romae die 18. Jan. 1672.

S. C. Episc. et Regul. die 24. Nov. 1713 ad 3 in causa *Placentina*.

Ad dubium: An licet parocho exigere maiorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a civibus?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 15. Mart. 1704 in *Navarien*.

Parochis pro associandis et tumulandis cadaveribus eorum, qui repentina vel violenta morte decedunt, non licet exigere maiorem quartam seu majus emolumentum eo, quod exigi seu praestari solet ab eo, qui testamentum condidit. S. Congr. Concilii 24. Aug. 1669.

Item nec licet parochis exigere maiorem quartam seu majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a civibus. S. Congr. Rituum in Vaden. 2. Aug. 1689.

Non licet parochis majorem elemosynam exigere pro defunctis in Ecclesie Regularium sepeliendis, quam eis solveretur, si in propriis vel aliis saecularibus Ecclesiis sepeliri deberent. S. C. Ep. 27. Oct. 1603; 2. Oct. 1643. 25. Jan. 1651. Breve Urbani VIII. de die 11. Martii 1638. (Vd.: Bull. magn. edit. Luxenburg. p. 303. n. V.)

Ad dubium: An parochus vel Canonici Collegiatae, occasione cadaverum sepeliendorum in Ecclesia PP. Augustinianorum et Conventualium, possint exigere ultra solitam quartam funeraliem sibi de jure debitam, libras duas cereas ab haeredibus defuncti in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: *Negative.*

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 3881 ad 4 die 14. Decbr. 1715.

6) Parocho saecul. non debetur.

Vd.: *Quarta fun. (Regul.); Sepult. Regul.*

Quarta funeralis non debetur parocho, intra cuius limites viator retentus pro delicto et habilitatus cum cautione decedit stante consuetudine in civitate, quod jus sepeliendi peregrinos et viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem. S. C. C. in Pisauren. 22. Jan. 1628.

Quarta non debetur parocho de intortiis et candelis, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes manualiter per viam deferunt. Sic expresse Benedictus XIII. in Constit. incip.: *Romanus Pontifex*, et jam plures fuerat declaratum a S. C. Episc. et Regular. et signanter 28. Novbr. 1588 et in Firmana 5. Martii 1596.

Item quarta funeralis non debetur parocho de missis, legatis anniversariis hisque similibus piis relictis ad favorem Ecclesiae tumulantis vel exponentis, a defuncto dispositis. Sic expresse

Benedictus XIII. ibidem, et jam fuerat declaratum a s. Pio V. Constit. incip.: *Etsi Mendicantium.*

Vela, Sudariola et similes panni non solum non peti sed neque etiam a sponte dantibus occasione funerum accipi possunt a parochis; die enim 13. Aug. 1718 in una Terrae Massae Tudertinae dioecesis proposito dubio in Sacra Congreg. Concilii: „An sub quarta comprehendantur frumentum, pannum, sudariolum et cera, quae accenditur et extinguitur ante Ecclesiam Fratrum?“ responsum fuit: „Comprehendi sub quarta funerali frumentum et ceram, non autem pannum et sudariolum, et quoad sudariolum Sacra Congregatio mandavit illud amplius non auferri cum cadavere nec ab haeredibus parocho consignari.“

Sic refert Ursaya tom. 4. pag. 1. num. 13.

Clerus saecularis nihil potest praetendere propter exequias aut sepulturam monachorum aut fratrum morientium extra claustra.

S. C. Ep. 24. Nov. 1634; 24. Sept. 1636.

Residua illius cereae, quam aliquas confraternitas vel locus pius impedit de suo in sepeliendis pauperibus gratis, nec a quocumque alio praetend possunt, nisi subiit fraus aliqua.

S. C. Ep. 22. Nov. 1588; 21. Aug. 1606; 15. Mart. 1616.

Consanguinei defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, illis parentare in parochialibus et aliis Presbyterorum Ecclesiis etiam Cathedralibus, compelli nullo modo possunt. S. C. Ep. 14. Jan. 1639, quod decr. approb. Alex. VII. in sua Constitut.: „Alias pro parte“, 30. Apr. 1660.

Item res se habet in die 3to, 7mo et 30mo et in anniversariis.

S. R. C. 24. Julii 1638; 22. Apr. 1633.

Clerus saecularis nihil potest praetendere propter exequias aut sepulturam monachorum aut fratrum morientium extra claustra. S. C. Episc. et Regul. 24. Nov. 1634 et 24. Sept. 1636.

Ad dubium: An pro funere defuncti eligentis sepulturam in Ecclesia Regul. debeatur parocho quarta funeralis, vel potius obstet exemptio praetensa a PP. Carmel. Laudae eam non solvendi?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 2. Maii 1711. *Lauden.* ad 4.

7) Quanta?

Quarta funeralis solvitur in quantitate juxta consuetudinem regionis et locorum solita et praescripta. S. C. C. in Ebredunen. 21. Julii 1695 ad 12, et in Mantuana 18. Junii 1699.

Quoad quantitatem quartae funeraliae standum consuetudini; at notabile est, quod si ea praetendatur infra medietatem, sufficit praescriptio decem annorum; si autem ultra medietatem praetendatur, necessaria est praescriptio quadraginta annorum. *Rota in Florentina* quartae funeralis 6. Mart. 1711 fere per tot. cor. bon. mem. *Cafarell.* Nullo modo immiscere se debet Archipresbyter in decernenda taxa solvenda ab haeredibus pro sepeliendis defunctis, et hujusmodi sepultura omnino impediri et retardari non debet ob quicumque praetextum etiam compositionis super quartu funerali; sed ad dirimendas lites et evitanda scandalia, quae hac de causa oriri solent, adeundum esse Archiepiscopum, qui auditis partibus certam aliquam taxam statuat. n. 2869 ad 8 die 26. Nov. 1678.

Exequiarum taxa confici debet ab Episcopo, auditis interesse habentibus, et transmittat approbadam vel Metro-

politano vel S. C. C. Die 20. Jan. 1630; 3. Sept. 1707.

8) Regularium.

Vd.: *Quarta fun. (Parocho non deb. dupl. etc.).*

Regulares olim quartam funeraliem solvere tenebantur solum in Conventibus seu Monasteriis, quae eam solvere consueverant 40 annis ante Concilium Tridentin.; secus vero in aliis ex post aedificatis, et quae in dies aedificabantur, ut patet ex ipso Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. de reform. et declaraverat s. Pius V. Constit. incip.: *Etsi Mendicantium*, et plures S. C. Concilii, ut in Pampilon. 22. Septbr. 1591, in Meliten. 2. Aug. 1607, in Asculana 2. Septbr. 1679, in Lauden. 2. Maii 1711. Et S. C. Episcop. et Regular. 17. Novbr. 1673, in Senogallien. 23. Dec. 1707, in Brictinorien. 16. Mart. 1717 et saepe alibi.

At novissime contrarium determinavit Benedictus XIII. Constit. incip.: *Romanus Pontifex*, qua decernitur et mandatur, ut in Italia eique adjacentibus insulis Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium de caetero tumulabuntur, quarta funeralis persolvatur, praeservando favore Parochorum consuetudines legitimas pro illis locis, in quibus vigent, percipiendi portionem majorem quartam, cum aliis ordinationibus et derogationibus opportunis. Et in Conc. Rom. tit. 8. de Officio Judicis Ordinar. c. 5. mandat Episcopis, ut ipsam publicari current atque pro illius observantia invigilant, etiam tamquam sedis apost. Delegati. Unde, ut ejus dispositio ab omnibus plene percipiatur, hic ad literam datur:

Benedictus Episcopus etc.

Romanus Pontifex aequi bonique supremus Assertor auctoritatem a

buuntur regularibus non associantibus in actu excipiendi cadaver in eorum Ecclesia, regulariter non sit minus novem unciarum illaeque non acquirantur religiosis gestantibus, sed eorum Ecclesiae; et aliquando solum pro usu proprio distribuantur illis ultra candelas novem unciarum aliae parvulae candelae trium circiter unciarum; et quod fructus certi parochialium civitatis sint valde tenues ac incongrua parochorum hujusmodi emolumenta incerta primum locum habeant, quae si minuerentur, non modicum praejudicium sentiret parochi, ut latius ex ejus relatione transcripta in summario parochorum, ubi pariter datur particula Synodi.

Regulares vero praetendunt, non esse attendenda praedicta decreta Synodia, quia post factam primam electionem a parochis de stando consuetudini non poterant eligere Synodos, ac etiam quia dicta decreta non sunt in observantia et diversa sit consuetudo vigens in civitate quoad modum dividendi emolumenta funeralia; optio autem data parochis nunquam erit quoad decreta et statuta, quae non sunt in viridi observantia, prout ex litera prefatarum constitutionum apostolicarum; ut fusius ex eorum juribus in circumferendis.

His praehabitis grave non erit super sequentibus dubiis sapientissimum pandre responsum:

1. An et quomodo sit facienda divisione intortiorum et candelarum ardantium in die funeris et officii, praesente cadavere, in altaribus columnis et aliis locis Ecclesiae regularis tumulantis?

2. An et quomodo sit facienda divisione earundem candelarum et intortiorum, quae in Ecclesiis tumulatibus accenduntur occasione officiorum, seu exequiarum faciendarum in diebus sequentibus post tumulationem cadaveris?

3. An et quomodo inter parochos et regulares, qui cadaver per viam non comitantur, dividenda sint intortilia manualiter gesta accensa in itinere a sacerdotibus saecularibus occasione delationis cadaveris ad Ecclesiam regularem tumulantem?

4. An et quomodo dividenda sint candelae, quae manualiter gestantur accensae a Regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris vel exequiarum et officiorum?

5. An et quomodo sit facienda divisione cenotaphii, culcitrae et aliorum ornamentorum in eo existentium?

6. An et quomodo sint dividenda pecuniae in casu, quo illae tradantur ab haeredibus defuncti in locum cerae?

7. An Regulares occasione funerum et officiorum teneantur accendere omnes candelas, quas recipiunt ab haeredibus defuncti, in altaribus Ecclesiae in casu?

S. C. C. resp. *ad primum, secundum, tertium, quintum et sextum*: divisionem esse faciendam pro medietate. *Ad quartum*: Dilata. *Ad septimum*: Affirmative.

Die 9. Sept. 1730.

Iterum proposito dubio:

1. An sit standum vel recedendum a decisio die 9. Sept. 1730?

2. An et quomodo dividenda sint candelae, quae in manibus gestantur accensae a regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris vel exequiarum et officiorum?

S. C. C. resp.

ad 1.: In decisio quoad 1., 2., 3., 6., 7.; quoad 5.: In decisio servata forma constitutionum synodal.

ad 2.: Divisionem faciendam esse pro medietate et amplius.

Die 2. Junii 1731.

San. mem. Benedictus XIII. veterem sacrorum Canonum sanctionem redintegrans in constitutione incipiente: *Romanus Pontifex* ita sancivit: „Paro-

chis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulante associabitur, necnon omnium intortiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendentur etc. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud diversum tempus differretur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortiorum et candelarum, quae ipsam peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium, atque etiam in altaribus ejusdem Ecclesiae accensa fuerint.“

Post editam pontificiam hanc legem Archipresbyter necnon alii duo asserti parochi seu rectores Ecclesiae sub titulo s. Michaelis in oppido Bagnacaballi existentes, tametsi antea nihil jure quartae funeralis perciperent ex candelis et intortiis penes Ecclesiam tumulante Regularium relicts, multoque minus ex illis, quae itinere delata defunctorum haeredibus restituebantur, tradita Ecclesiae tumulanti decima dumtaxat parte, coeperunt canonicam exigere portionem ex omnibus candelis et intortiis, quae sive in associatione cadaveris sive in Ecclesia occasione funeris accenduntur.

At Praesides communitatis memorati oppidi jura haeredum defunctorum tuentes hodie contendunt assertam quartam funerali praefatis Archipresbytero et parochis solvendam non esse ex dictis candelis et intortiis, quae post absolutum funus iisdem defunctorum haeredibus restitui antea consueverunt, innixi potissimum constitutioni synodali a clar. mem. Card. Rossetto Episcopo Faventino jampridem hisce ver-

bis promulgatae: Il soprovaono delle candele, che si accendano su l'altare resti alla Chiesa; ma delle candele, o torcie, che si accendano per istrada, etiam che durino accese in Chiesa, durante la funzione, si ristituiscia interamente agli Eredi, idque consentaneum putant juri communi, quo statutum est, quartam funerali parocho deberi ab Ecclesia tumulante dumtaxat ex intortiis, candelis aliisque funerariis emolumentis eidem Ecclesiae obvenientibus, non autem ex illis, quae defunctorum haeredibus post absolutum funus restituuntur, uti notant communiter scribentes in tit. de Sepult. et favere videtur resolutio ab hac S. C. edita in Acheruntina die 15. Maii 1638, ubi dictum fuit: ad solutionem quartae funeralis non teneri haeredes nec executores testamentarios; emolumen vero sepulturae pro cadaveribus humanis non posse de jure peti nec exigiri, sed si quid ex legitima consuetudine a sponte dantibus solvi consuevit, hujusmodi consuetudinem permitti posse, ita tamen, ut ex non solutione interim non denegetur sepulta, ut in lib. 16. decr. p. 21.

Immo cum in facto habeatur, Archipresbyterum et memoratos parochos non exigere nisi decimam partem ex candelis et intortiis, quae defunctorum haeredibus restituuntur, quando cadavera in parochiali aut alia saeculari Ecclesia tumulari contingit, pendendum est, num, vigente hac consuetudine, eisdem competere possit jus exigendi quartam, quoties cadavera sepeluntur in Ecclesiis Regularium; parochis enim prohibitum est pinquiis emolumentum ab haeredibus defunctorum exigere, quando cadavera ad Regularium Ecclesias deferuntur, ne fideles ab eligenda in illis sepultura retrahantur, uti ad normam Apostolicarum constitutionum Urbani VIII. la 22. et Clementis X. la 56. pluries

rescripsit S. Cong. nimirum in Papie. funerum 12. Dec. 1665, in una con- ventualium quartae funeralis 27. Mart. 1577, in Mantuana funerum 16. Jan. 1694 et in insularum Canariae jurisdictionis, ubi disceptato dubio: An parochi saeculares praetendere possint majorem quantitatem emolumenterum funeralium, quando cadavera sepeluntur in Ecclesiis regularium, quam accipiunt, quando tumulantur in Ecclesiis saecularibus? die 31. Julii 1694 ita responsum fuit: Negative et dandum decretum in Mantuana funerum editum 16. Jan. et 3. Apr. proxime praeteriti, ut in lib. 44. decr. p. 164.

E converso tamen Archipresbyter et parochi dictae Ecclesiae praeter constitutionem Benedictinam et plures resolutiones sacrae hujus Congregationis opponunt potissimum assertam consuetudinem, juxta quam controversa quarta funeralis nedum in praefato oppido Bagnacaballi verum etiam in ipsa civitate Faventiae a parochis defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium tumulantur, pluribus ab hinc annis exigitur ex omnibus intortitis et signanter ex illis, quae defunctorum haeredibus post absolutum funus redduntur. Hanc autem consuetudinem utpote piam et laudabilem servandam esse, authumat satis probari ex rescripto Clementis III. in cap.: *Certificari. 9. de Sepul., et Alexand. III. in cap.: ad Apostolicam de Simon.*

Haec sunt rationum momenta, quae in utramque partem ponderari possunt ad decisionem primi dubii infra describendi. Cum autem praefati Archipresbyter et parochi in associatione cadaverum binas candelas ad differentiam Sacerdotum simplicium hactenus ab haeredibus defunctorum receperint in premium laboris, quem in curae animarum exercitio sustinent, juxta assertam consuetudinem nonnullorum testimonio comprobata, et e contra

Praefecti dictae communitatis contendant, dictas binas candelas tradi debere dumtaxat Archipresbytero, non autem alias assertis parochis seu rectoribus praefatae Ecclesiae ad formam Synodi a dicto clar. mem. Cardinali Rossetto habitae, ubi sic cautum habetur: Oltre l' elemosina suetta si permette anco quella della cera, cive al Paroco una candela, o al piu due, ma il peso similmente ad arbitrio degli Eredi. Quando si canta la Messa, per l'Altare maggiore solo candeline quattro, al Paroco candeline minute quattro, agli altri Sacerdoti due, ma cantandosi solamente il Notturno de' Morti all' Altare maggiore due candeline minute, al Paroco, e Sacerdoti, come sopra, ad dirimendam quoque hanc controversiam alterum proponetur dubium.

Episcopus in suis literis ad S. C. datis Archipresbyteri et parochorum juribus adstipulatur quoad quartam funeraliem; quo vero ad binas candelas censem, eas quidem tradendas esse Archipresbytero, minime vero parochis, quia, ut inquit, *praesente capite alii Rectores non plus habendi sint, quam simplices Sacerdotes funus prosequentes.*

Spectat jam vero ad Eminentias VV. declarare:

1. An et a quibus et quae portio cerae debeatur Archipresbytero Terrae Bagnacaballi pro eorum quarta funerali, quando cadavera tumulantur extra parochiam in Eccl. Regularium in casu?

2. An et quot candelae tradi debeant Archipresbytero et parochis in associatione cadaverum in casu?

S. C. C. resp.

ad 1.: deberi quartam tantum ex ea portione cerae, quae retinetur ab Ecclesiis Regularium.

ad 2.: deberi binas candelas Archipresbytero et, eo absente, totidem ejusdem substituto tantum et amplius.

Die 18. Junii 1735.

Lunen.

Detrectantibus fratribus Capuccinis civitatis Sarzanae praestare capitulo Ecclesiae Cathedralis quartam partem cerae, quam occasione funeris Catharinae Bernacci parochiali jure d. Ecclesiae Cathedrali subjectae et in eorumdem fratrum Ecclesia tumulatae debitam sibi asserit praefatum capitulo, proponitur infrascriptum dubium, quo nedum praesens sed et aliae id generis controversiae, quae deinceps exoriri possent, sapientissimo Eminentiarum VV. judicio dirimendae subjiciuntur.

Notissima est constitutio incipiens „Romanus Pontifex“, qua s. m. Benedictus XIII., sublatis quibusunque Regularium privilegiis ac exemptionibus, veterem sacrorum canonum sanctiōnem circa quartae funeraliae solutionem redintegravit in haec verba: „Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcunque regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortitorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortitorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendentur“, quemadmodum aequo compertum est sub generali hujus pontificiae constitutionis lege comprehendti quoque fratres Capuccinos, uti declaravit supremum hoc tribunal in Pisauren. 15. Maii 1728 et in Oritana „funerum“ 12. Febr. 1729.

At binae a fratribus Capuccinis conventus Sarzanensis coram Episcopo adductae sunt exceptiones: altera nempe, quod ipsi ex funere praelaudatae Catharinae nihil perceperint, sed omnia intortitia completo funere ad haeredis domum fuerint delata, ac penes ipsum adhuc remaneant, quod-

que proinde memoratum capitulum pro assequenda asserta quarta funerali actionem suam debeat contra d. haeredem instituere; altera vero, quod enunciata constitutio Benedictina non fuerit Genuae et in ejus ditione promulgata neque ibidem sit recepta.

Contra vero capitulo primam ex relatis exceptionibus satis confutari putat ex facto per Episcopum in sua relatione exposito, juxta quod habetur, memoratos fratres Capuccinos reipsa recepisse controversa intortitia, sed postmodum omnia restituisse haeredi, ut ea juxta mandatum Episcopi, donec lis inde exorta absolveretur, depositi loco retineret; ad rejiciendam vero secundam allegat resolutionem S. C. Episcoporum et Regularium negotiis praepositae in una Aquen. 19. Septb. 1732, ubi ad VI. dubium rescriptum fuit: „fratres Capuccinos teneri quartam funerali persolvere parocho opidi Ovadae“, quod intra Januensis dictio limites reperitur, ac praeterea magnopere innititur testimonio Episcopi, qui post rejectam primam exceptionem quoad alteram sic habet: „Secunda pariter exceptio nec in facto nec in jure subsistit. Non in facto, nam constitutionem san. mem. Benedicti XIII. venalem publice expositam ibique impressam egomet post ejus editionem Genuae emi, quod sicuti sufficientem ejus publicationem etiam in Genuensi dominio demonstrat, ita non leve praestat argumentum, quod nihil in contrarium occurrat republicae administratoribus pro observantia dictae constitutionis, quae punctum merae disciplinae ab ecclesiasticis servandae respicit. Ulterius quidquid in civitate Genuae servetur etiam post dictam constitutionem ob peculiarem consuetudinem ab immemorabili ibi vigentem contribuendi parocho proprio defuncti idem funus, quod in Ecclesia tumulante peragit, ipsimet